Rutkowski Placidi: Theoremata theologica de operationibus Dei.

T

T

Au

D

E.

THEOREMATA THEOLOGICA,

AD

Aures Doctoris ſubtilis Ioan: Duns Scoti.


De Operationibvs Dei.

Ad Intra tum ad Extra.



CRACOVIÆ,
Ex Officina Matthiæ Andreouienſis, Anno Domini, 1621.

In Stemma Almæ Acad. Crac.



HÆc quid ſceptra volunt? quid ſpirant Stemmata tanta?
Quid tua pręclari mænia Crace tenent?
Quisquis Ariſtotelis cognoſcere dogmata quærit,
Demoſtenea voce tonare cupit.
Et qui Galæni doctrinam ſcire peroptat
Ac quoque qui leges Iuſtiniane tuas.
Noſcere diuinum numen qui poſcis: adeſto
Hic quæras cuncta tenere potes.
Hoc etenim geſtat præclara Academia Stemma,
Inſtruit an reges? regia Sceptra ferens.

Magnifico & Adm. Rndo Domino,

DOMINO IACOBO NAYMANOVIO,

I. V. D. Archidiacono Pilcenſi, &c. &c. Studij Generalis Crac. RECTORI digniſsimo, õnibuſque in Alma Academia Profeſſoribus, Dominis & benefactoribus obſeruandis.

Fr. PLACIDVS RVTKOWSKI, S. T. B. Ord: Min: Con.
P. P. P.

CVm pro conſuetudine omni æuo celebratiſſima paullum attentiorem cogitationem mecumſuciperem, cuinam potiſſimum Theoremata hæc mea de ſumme abdito, ac omni ratione per recondito SS. Triadis ſimulq; rerum creaturarum myſterio nuncuparem, cumq; varij & ſtudio incredibili in noſtrum Seraphicum ordinem, & ſane permagna in me beneuolentia ac meritis ſe ſe mihi offerrent. Vicit attamen illa facile non tantum rationum æquiſſimarũ multitudine, verumetiam earundem pondere ſententia, vt Almæ

Academiæ Crac. totius septemtrionis longe cælebérimo Gymnasio, atq; adeo recens inaugurato eius Rectori (cui me totum debeo) Hoc quicquid est, volens ac libens consecrarem. Ac me in eam mentem veterum inprimis Philosophorum, hominum eruditissimorum peruulgatus ille mos impulit, qui sua docta volumina & quicquid commentando peperissent, non potentiæ aut diuitiarum nomine splendidis, sed sapientia atque æstimatione rerum clarissimis dedicabant. Et hoc equidem suæ sapientiæ semper solidæ, ac non in speciem vanitatis, sed ad vsum hominum institutæ pro merito nobilissima hæc Academia, vt ceu Phænix in Poloniæ Regno existens, vnica tantos cumulos atque montes commodorum in omnes Reipub. partes, ac in ipsam sacrosanctam Religionem, omnesque Deo dicatos Ordines importauit, inq; dies singulos importet, vt omnium non imprudentium existimatorū consensu, nunquam sint adeo impudentes futuri Polono sanguine creti, qui eam Academiam quæ nomen Polonorum literis illustrauit, & prima lucem bonæ mentis in hanc oram fælicissimæ, velut Promo-

theus

theus è cælo deduxit, omniumque lumen de suo lumine accendit, non cuperent æternam ac immortalem reddere. Quod si homines ita derelicti ab omni ratione inuenirentur, & illa mens omnium prima humanarum iurarum fructus ac dispendia ex alto respiciens, dolosasq; machinationes exitio cõmemorabili affligens ad longeuam posteritatem, contra praua maleuolorum studia propagabit: nostri vero Ordinis gloriosissimus antesignanus, humilimorum Sanctissimus, & Sanctissimorum humilimus B. Franciscus pro consociatione, quæ huic inclytæ Academiæ cum eius Ordine Seraphico intercedit sempiterna semper ab illa stabit animosissime. Quo etiam feci libentius, præter illam causam generalem & communem, vt ad hanc ipsam cum præsenti significatione mei studij diuerterem deberi hoc à me illi existimans quæ sancto quodam & arctissimo tenetur conglutinata cum Ordine Seraphico societatis vinculo. Iam vero si mater omnium virtutum gratitudo est accessit, hoc quoque priuata mea non in postremis, numeranda causa vt meæ

*olim meorumq; primorum Annorũ altrici quę-
ue mihi ad ſapientiæ adijta lampadem protulit
& grati animi declarationem, hoc agens teſtarer
& ſimul fideli meæ olim eruditrici rationem tem-
poris, poſt in ſtudiis tranſactis redderem. Quod
reliquum eſt, valere vos per diu fæliciter & flo-
rere cupio & opto.*

De Operationibus Dei ad intra.

1. TRinitatis indiuiduæ nomen variè in scriptura sacra vsurpari pro comperto tenemus, in principali significato docentes eos. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in numero consignificato, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In secundo supposito. Ego ex ore altissimi prodij, in verbo ter repetito. Sanctus, Sanctus, Sanctus.

2. Hoc tamen firma fide sustineo, quod Trinitas sit vnus Deus, conformiter ad dictum Tertulliani, qui dicere solebat in omnibus misterijs, præcipuè in hoc habeatur fides cum silentio, quare, & ego libens illud exclamo. Tria mihi difficilia sunt quartum penitus ignoro.

3. Et falluntur aduersarij D. Subtilem in primo dist. 2. quæst. 6. hoc ineffabile mysterium demonstrare voluisse, crede & intelliges, sciebat dictum hoc Scotus quanquam rationes suæ, aliorum rationibus probabilius intentum declarare videntur, imò circa articulos fidei, tantum probatur possibilitas factum non, fide enim creditur, ita idem Scotus in 3. distinct: prima, quæst. 1.

4. Inprimrs igitur, vt humana valet infirmitas

assero

asſero in diuinis, ad intra dari productionem dupli cem, vnam verbi quæ generatio, alteram Spiritus Sancti, quæ proceſsio ſeu ſpiratio nuncupatur, vtriuſque meminit, D. Auguſtinus dum inquit, Filius procedit vt natus, Spiritus Sanctus, vt datus.

5. Nec plures eſſe poſſunt his duabus, neq; pauciores vt ſubtiliter deducit Scotus, numerus enim diuinarũ productionum, inueſtigari debet ex numero principiorum producentium, quæ tantum ſunt duo, neque plura, neque pauciora, intellectus videlicet & voluntas.

6. Perſona Patris eſt omninò improducta, ita & in Symbolo D. Athanaſij expreſſum habemus, Pater à nullo factus, illud enim eſt verum, D. Augu ; imò & Ariſtotelis quod nihil producat ſeipſum.

7. Principium Filij, vt quod Patrem admitto, cauſam tamen nullo modo, vnicam enim in hac Sãctiſsima Trinitate eſſentiam, & indiuiſibilem quidem, contra impiiſsimum Arium confiteor, & Sacrilegium puto, cum D. Hieronymo ad Damaſum Papam ſubſtantiam in Diuinis numerari.

8. Prioritatem & poſterioritatẽ ibi nequaquam concedo, cum D. Athanaſio in dicto Symbolo. Et in hac Trinitate, nihil prius neque poſterius intellige, non temporis neque durationis, ſed bene originis, quo ordine Pater dicitur in Diuinis, prima perſo-

perſona, quia Deitas in ipſo à ſe, Filiùs ſecunda, quia à Patre, Spiritus Sanctus. tertia quia ab vtroque, ita vt illud ſit verum, D. Augu: Pater eſt principium & fons totius Diuinitatis, quæ ſententia qualem habeat ſenſum dicetur interroganti.

9. Non debemus affirmare ſimpliciter, quod Filius in primo ſigno non ſit, quia nec eſſe nec non eſſe conuenit ei in tali ſigno, ita vt non ſint ponenda ſigna originis, in quibus, ſed à quibus tantum. Et ſenſus eſt Filius, non eſt in primo ſigno originis, id eſt non eſt à ſe quòd concedimus.

10. Memoria in Patre, eſt principium operatiuum Patris, quod ſcilicet Pater, vt in actu primo formaliter intelligit, vt in actu ſecundo.

11. Eademq́ue memoria dicitur eſſe principium productiuū Filij quo Pater exiſtens, vt in actu primo, producit vt in actu ſecundo notitiā genitam ex D. Anſelmo in ſuo Monologio, vbi ait verbum eſſe cognitionem. de memoria neque aliter debet intelligi illud D. Auguſt. viſio de viſione, & illud in Symbolo Nycæno, lumen de lumine.

12. Emanationem ergo quādam, ſeu exitum potius, in æternitate vnius perſonæ, ab alia dicere diuinam hanc verbi productionem affirmo, iuxta illud Saluatoris, apud Ioannem: Exiui à Patre, optimeq́; declarari à nobis per generationē æternam.

Iuxta illud Psal. Ante Luciferum genui te. idque sine imperfectione quamuis apud Deũ enim nulla est mutatio atq; vicissitudinis obumbratio.

13. Verumq; & tanquam Catholicum defendo Dei Filium esse de substantia Patris non tanquam de materia vel quasi de materia; sed per (de substantia) intellige duo coniunctim originem Filij & eius consubstantialitatem, quod collige ex SS. Patribus, Diuo præsertim Aug: in expositione verborum 2. Pauli. Transtulit nos in regnum Filij charitatis, qui exponens ait, filij substantiæ suæ.

14. Essentiam diuinã nullatenus generare neq; generari, admitto imo tanquam Hæreticum cum Ecclesia damno. text. de summa Trin: & Fide. cap. damno. neq; ex hoc sequitur quaternitas vt voluerunt quidam contra Magistrũ Sententiarũ. Pater enim & Filius & Spiritus Sanctus sunt, illa simplicissima res quæ neq; generat; neq; generatur.

15. Porro generationem hanc diuinam etiam necessariam esse assero, & stante hoc addo cũ Scoto in primo dist: 6. Patrem æternum genuisse Filium voluntate non tantum concomitante, sed etiã Antecedente, non tamen sequitur voluntatem esse principium quo Filij sed tantum concluditur actum voluntatis essentialem antecedere ordine naturæ generationem Filij. Illud enim est verum

Patrem

Patrem in primo ſigno originis antequam generet Filium eſſe perfectè beatum.

16. An autem potentia generandi ſit in Filio, dubitant multi idq; propter D. Aug: ad Maxentium Hæreticum, Filius non generat, non quia non potuit, ſed quia non oportuit. dicerem ego vim generatiuam ineſſe Filio non potentiam generandi ſumendo potentiam cum omnibus circumſtantijs ad generandum.

17. Pater autem & Filius dicuntur ſpirare Spiritum Sanctum iuxta illud Concilium Lugdunenſe, Qui à Patre Filioq; procedit, non in quantum ſunt vnum in eſſentia, neq; vt in perſona, ſed in quantum ſunt in vi ſpiratiua; vnum & hoc eſt quod dicunt Theologi & bene Patrem & Filium non eſſe duo ſpiratores, quia poſſemus alias inferre eſſe poſſe habere volũtates duas, bene verum eſt quòd ſunt duo ſpirantes, & tantum valet dicere quod ſunt duo ſuppoſita ſpirantia.

18. Et quia proceſsio Spiritus Sãcti eſt ſubſtantifica per modum voluntatis productio, hinc ſit quod neq; Filium Patris, neq; verbum diuinum nominare poſſe.

19 Hæc autem propoſitio, Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, tanquam vera à Doctore ſubtili conceditur, non autem verum eſt, Pater eſt ſapiens, ſapientia genita.

20. Tandem adeò Diuinas perſonas conſtitui ſuis proprietatibus perſonalibus, vt paternitate Patrem, filiatione Filium, ſpiratione paſsiua Spiritum Sanctum, quare optime concluditur à quibuſdam, ſi Spiritus Sanctus per impóſsibile non procederet à Filio, adhuc non diſtingueretur realiter ab eo.

De operationibus Dei, ad extra relatis in comparatione ad ſe.

1. CReatio quæ non vno, ſed pluribus modis apud Scriptores & Patres vſurpari cõſueuit, in ſua rigoroſa acceptione, recte deffinitur à Scoto in ſecundo diſt. part. quæſt. ſecunda, quod ſit productio rei ex nihilo in effectu.

2. Ex nihilo profecto, non quidem materialiter vel cauſaliter, aut ex termino, quomodo recte vnanimes Philoſophos in commune illud aſſertum, cõſpiraſſe docet Scotus ibidẽ ex nihilo nihil fieri.

3. Sed bene vt negat ſubiectum, & eſſe quodcunq; reale rei præexigitum, non vero eſſe cognitum, & obiectiuum, quod ab æterno in mente Dei rem quamlibet accepiſſe, lata eſt doctrina in Scoto, in ſecũdo diſt. prima. quæſt. prima & ſecunda.

4. Quodq; ſufficiens fuiſſe, ad fundãdam poſſibilitatem rerum acutiſsima eſt diſputatio. Scot.

aduerſus

aduerſus Henricum in primo diſt. 43. quæſt vnica.

5. Præſefert & præterhæc li nihil ex Scoti præceptis, ordinem atque prioritatem inter non eſſe, & eſſe rei creabilis, non quidem abſolutæ durationis, aut naturæ poſitiuum ſed priuatiuum, ſicut ibi fuſe explicatur.

6. Cuius definitionis explicatione ſic ſtante recte colligimus, de ratione creationis non eſſe nouitatem eſſendi cap. 3. quæſt. diſt. 2.

7. Nec minus ad ens, ſubſtantiale per ſe ſubſiſtens terminetur, ſed reſpicit pro termino ſibi adæquato, quodcunque finitum, Ens à materia & à ſubiecto independens.

8. Quapropter nego cum Scoto gratiam, & cætera ſupernaturalia dona, ex ſubiecti potentiali obedientia educi, ſed illa propriè creari, verèq; intra creationis latitudinem includi, ex 4. diſt. par. quæſtion. prima & quarta.

9. Creationem, non modo poſsibilem, ſed de facto, reſpectu ſolum quorundam Entium dari naturali ratione oſtendi poſſe, demonſtrat Scotus de mente Philoſophi, tùm hic in ſecundo, vbi ſupra cum latius in octaua, diſt. prima, quæſt. 5.

10. Quin imò Deum vnum, cuncta extra ſe mediatè vel immediatè produxiſſe, eundem Philoſophum confeſſum eſſe, lato diſcurſu, docet Scotus,

7. quod

7. quodlib. quidquid iniqua & superstitiosa professione, obsterpent Manichæi, qui malorum etiam alterum Deum promere ausi sunt.

11. De nouo autem in tempore, Deum immediatè aliquid creasse, regulariter ad sua principia negaret Philosophus non tamen Theologus, nulla ex parte Dei intercedente, innouatione ex secunda quæst. primi dist. scñda.

12. Lata hoc loco occurit quæstio, vtrum Entia potuerunt, ab æterno creari, mihi verò sic visa est resecanda controuersia, de mente Scoti, in tertia quæst. prima, dist. secunda. quod de permanẽtibus problema est in Scoto probabilius, tamẽ affirmatiuæ quam negatiuæ parti adhæreo.

13. De successiuis autem omnino puto, cum eodem Scoto ibidem esse negandum, ob repugnãtiam intrinsecam, eorundem cum æternitatis instanti.

14. Actiua creatio nihil ponit reale, intrinsecè denominans Deum, sed est denominatio extrinseca, à creatione passiua existente, in creatura ita quod per respectum creationis, passiuæ intrinsecè existẽte, in creatura dicitur Deus extrinsece creãs.

15. Vnde frustra est quærere, an actio creatiua, seu creatio Actiua, sit actio agens, immanens vel transiens, quia talis quęstio, supponit esse actionẽ-

agen

agentem in agente, realem & intrinsecè denominantem ipsum agens.

16. Quando autem actio agens nihil reale ponit in agente, præter denominationem extrinsecã, quæ fit per actionem actam existentem in passo, tunc potius quærendum est, de actione acta seu de creatione passiua, non de actiua qualis sit, & respõdemus creationem passiuam esse formaliter actionem actam transeuntem extrinsecè, denominantem creatorem trãnsitiuè, & non immanenter creantem.

17. Passiua vero creatio, de formali, aliud non signat, quam relationem dependẽtiæ creaturæ, ad Deum creantem, non mutuam atque ideo realem, ex parte fundamenti, rationis ex parte termini.

18. De connotato vero dicit eandem rei creatæ Entitatem cum qua idem realiter identificatur solum realiter distincta sicut vniuersaliter docet Scotus esse dicendum de quauis relatione creaturæ ad Deum in 4 quæst. primi dist. 2.

19. Non tamen ea ratione qua dicta relatio non est formaliter nisi fundamentum ipsum cum Henrico, aut quia est de ratione intrinseca fundamenti cum alijs, sed Scoti principio insistendo, quod fundamento repugnat esse sine termino, ex 4. quæst. vbi supra.

20. Estq;

20. Estq; etiam eadem numero creatio passiua cum conseruatione passiua solum ratione distincta, sicut vniformiter dicimus se habere creationem actiuam cum conseruatione actiua ex 2. dist: 2. quæst: 2. & in 12. quodliberali per totum.

De operationibus ad extra relatis in comparatione ad diuinas Personas.

1. VNiuersarum rerum creatarū multitudinem ab vno hoc Deo pendere adeo indubitatum est in fide, vt non modo bona & positiua omnia ab illo promanare dicamus.

2. Sed etiam mala pœnæ contra vana & peruersa deliramenta Sectariorum, quos iniqua voluntas non ad veritatis intelligentiam, sed potius ad placentium defensionem incitauit oppositum huius asserere, vt euidenter inter cæteros ostendit Scotus in 1. dist: 2. quæst: 3.

3. De malo quippe pœnę pro comperto habeo, de culpæ vero nō audeo sine distinctione proferre.

4. Asserendo positiuum & materiale culpæ esse à Deo effectiuè, formale autem idem deformitatem actus non nisi permissiue.

5. Quæ permissio, nō est positiuus actus Dei aut

remissi

remiſſa volitio, ſicut euenit in nobis, ſed præciſè negatio & ſuſpenſio actus, vt pulchrè claſsicus Scotus in primo diſt: 47. quæſt: vnica hæc omnia docet.

6. Igitur rerum omnium cauſalitas neceſſario conuenit non modo huic Deo præciſè Trinitatis Indiuiduo, ſed tribus perſonis non ſolum quo ad eſſe illarum ſimpliciter & reale, verum etiam ſecundum quid intelligibile cognitum & volitum ab æterno. ex prima quæſt: diſt: 2.

7. Non quidem ex eo capite quod creare ſit proprium alicuius perſonæ contra Henricum, aut quod Trinitas ipſa ſit formalis ratio creandi.

8. Quamobrem iure ibidem diſtinguit Scotus duo naturæ inſtantia in Deo primum quo complectur proceſsio perſonarum ad intra, poſterius quo habetur proceſsio creaturarum ad extra.

9. Primarium namq; obiectum quod eſt eſſentia diuina, intellectum mouens ad cognitionem ſecundarij obiecti, quod eſt creatura illa ſuo intelligendi actu producit in quodam eſſe cognito ſecundum quid & diminuto.

10. Quod eſt primum illarum eſſe formale & proprium conſiſtens in medio quodam Ente inter Ens reale & rationis.

11. Vnde ex tutiſsimo Scoti principio, dico quod

prior est habitudo naturæ diuinæ ad suppositæ quam ad cognitionem creaturarum.

12. Quapropter colligo diuinum Verbum non nasci de creaturis cognitis, nec minus Spiritum Sanctum ex earundem amore procedere.

13. Vtraq; enim processio diuinarum personarum præintelligitur & simpliciter in esse completo antecedenter ad quodcunq; creaturarum esse expressum & proprium.

14. Dixi simpliciter quia non debent sane aures abhorrere, quod tam mira explicatione docet Scotus, in primo instanti naturæ verbum & Spiritum Sanctum originari, secundum esse suum completum & cognitionem creaturarum esse impertinentem ad eorum essentiam.

15. Verum non ita necessario rerum creatio tribus personis conuenit, vt ab earum (si per impossibile tantum vna existat) non possit vniformiter complete vniuersitas creaturarum prouenire.

16. Cùm docet Richardus à S. Victore 3. de Trinit. cap: 16. quod si tantum vna foret persona in Deo adhuc esset in ea plenitudo potentiæ & sapientiæ.

17. Ad quod clarius probandum puto inter cætera aptissimum esse illud Scoticum dilema de duplici effectu ordinatæ ab eodem principio dependente,

dente, quod essentialior sit habitudo vtriusq; ad causam quam vnius ad alterum.

18. Creant igitur de facto omnes tres personæ diuinæ, prius tamen origine Pater quàm Filius, quare non solum ordinem volumus in Deo naturæ, sed etiam originis tum ad intra cum ad extra.

19. Principium autem creatiuum ad extra alias dictum executiua potentia, nolumus esse quid à voluntate distinctum.

20. Nec minus in Deo practicam scientiã concedimus, neq; voluntatem diuinam esse dirigibilem ab intellectu practico, sed efficacem esse ex se per actum efficatis volitionis.

De operationibus Dei ad extra, In comparatione ad creaturam.

1. SVblime illud creationis opus adeo necessario tribus conuenit, vt nulli vnquam creaturarum conueniat.

2. Quidquid dicant Philosophi, ille præsertim Auicena, qui monstrum quodam parturijt cathenam scilicet illam auream intelligentiarum, vt refert Scotus in 2. dist. 1. quæst. 1.

3. Ex quo fundamento accepisse fantur illam etiam Sectariorum vesaniam qua dixerunt mun-

dum hunc à quibuſdam Angelis factum eſſe, quos Deos appellabant, illis tamen præeſſe vnum incomprehenſibilem incognitum omnibus.

4. De poſsibili vero non leue eſt iurgium inter ſcholaſticos Doctores. An poteſt creatura aliquid Entium creare.

5. Nos reſpondemus vim creatiuam creaturæ non eſſe communicabilem, poteſt tamen creatura eſſe inſtrumentum non actiuum, ſed diſpoſitiuum ad creationem Dei principaliter & effectiuè creantis, vt ſunt Sacramenta nouæ legis.

6. Mihi tamen ex Scoti præcepto in 2. diſtin. 1. quæſt. 1. diſtinguendũ videtur creaturam vllam de poſsibili poſſe creationis terminum attingere.

7. Cuius veritatis ratio non eſt quod eſſe ſit vniuerſaliſsimus effectus vniuerſaliſsimæ cauſæ proprius.

8. Neq; quod infinita potentia ad creandum ſit requiſita propter diſtantiam creationis terminorum, aut elongationem actus à potentia.

9. Nec minus ſubordinatio effectus inferioris agentis ad effectum ſuperioris & artis ad naturam quæ ſingula diſplicent Scoto.

10. Sed tutiſsima illa ratio eſt Scoti, quod creatio eſt actio independens omnino à materia & ſubiecto, ab omniq; ſuperiori principio, hancq; ob cauſam nullo pacto creaturæ conuenit.

11. Et hæc eſt formalis ratio, & proxima repugnantiæ ſiue improportionis creatiuæ potentiæ in ordine ad creaturam.

12. Quod ſi vlterius protendatur diſputatio, an poſsit creatura ſi non vt principalis, ſaltem vt inſtrumentalis cauſa alicuius creationem attingere recentiores aliqui diſtinctione vtuntur de connaturali inſtrumento & diuino.

13. Docentes creaturã connaturale inſtrumentum non poſſe eſſe creationis.

14. Quid autem aſſerendum ſit in via Scoti. An poſset eſſe inſtrumentum diuinum ſcire ſi poſtules. Dico Sacramenta eſſe inſtrumenta diuina reſpectu creationis gratiæ.

15. Si autem quæras. An ſint Phyſica vel moralia, ad mentem Scoti dicemus non eſſe vera inſtrumenta Phyſica quæ ſint de genere actiuorum per aliquam formam actiuam ſibi formaliter in exiſtentem.

16. Sed ſatis eſt ad noſtrorũ Sacramentorum veram efficaciam oſtendendam, quod ſint inſtrumẽta diſpoſitiua neceſsitantia ex pacto gratiam producendam.

17. Eſt bene creatura Phyſicus & intrinſecus terminus creationis, præſertim ſpiritualis ex cunctis alijs præſtantior Angelica.

Quæ

18. Quæ spiritualis substantia est cõpleta, intellectualis, optima mente prædita ab humano consortio semota & corporeæ molis prorsus expers.

19. Quod ex Scripturis & sanctis Patribus accipio.

20. Solum illud pro certo tueor naturali ratione demonstrari posse non repugnantiam taliũ substantiarum sic spiritualium & incorporeorum, de facto vero non nisi probabilitatem suaderi. Quibus tandem cœli mentibus (faxit Deus) vt sicut nunc spirituales ac præstantiores agnoscimus & veneramur aliquando eisdem in beata patria associari possiumus. AMEN.

Publico certamini exponantur in Comitijs Prouincialibus Ord: Min: Conu. in Ecclesia D. Franc. Cracouiæ. Respondente eodem Patre Placido Rutkowski S. T. B. Præsidente Admodum Rndo Patre Adriano Bratkowic S. T. D. Custode & Guardiano Cracouiense, nec non Regente almi studij eiusdem Conuentus dignissimo. Anno 1621.

Mense Die Hora